B. C. D.

DISSERTATIO EPISTOLICA

DE

TEMPORIS NATVRA EIVSQVE MENSVRANDI ORIGINE

QVA

VIRO PERILLVSTRI GENEROSISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO


DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO

S.R.I. EQVITI ET LIBERO BARONI A RAGKNIZ
DOMINO IN HAVNSHEIM HEINSHEIM BERNEGG S. VLRICH OBER-MARBVRG OBER-KVHNBERG RELIQVA
CAESAREAE MAIESTATIS CONSILIARIO SPLENDIDISSIMO PERILLVSTRIS SVEVICI EQVESTRIS ORDINIS QVI PROXIME IMPERIO ROMANO-GERMANICO SVBIECTVS EST AD AMNEM KOCHERAM DELEGATO GRAVISSIMO
VIRO IMMORTALIBVS MERITIS CONSPICVO
ET
AD STVDIA LITERARIA MAXIME PROMOVENDA SINGVLARI FELICITATE NATO
DOMINO ET MAECENATI SVO INDVLGENTISSIMO
FELIX NOVI TEMPORIS AVSPICIVM NESTOREOS ANNOS REGIMENQVE FORTVNATVM
APPRECATVR
TAM ILLVSTRIS NOMINIS
CVLTOR ET CLIENS DEVOTISSIMVS
IO. IACOBVS BOECKIVS GIENGENSIS.

VLMAE, TYPIS CHRISTIANI VLRICI WAGNERI.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



VIR PERILLVSTRIS GENEROSISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME LITERARVM PATRONE ET MAECENAS GRATIOSISSIME.



Eneranda celebris quondam Græciæ & Romæ antiquitas nobis reliquit excellentium bigam virorum, qui, præter cætera egregia facinora, partim doctrina exquisitissima, partim singulari favore & propensissima in literas & literatorum studia voluntate nomina sua ab interitu vindicarunt, eademque in hanc usque ætatem celebratissima effecerunt. Herculem innuo, Musagetæ cognomento ornatum, & C. Licinium Mæcenatem. Horum enim duumvirorum tanta fuit felicitas, ut honorifica & (*) *Musagetæ*

(*) De hoc nomine vide sis *Majum* in *biblioth.* MS. *Uffenbach. P. II. p.* 645.

& (*) *Mæcenatis* appellatione ſalutarentur quivis ſummi optimarum artium Statores & Promotores. Id genus nominum, *Mæcenatis* maxime, nullo non tempore honori ſibi duxerunt Imperatores, Reges, Duces, Principes, cæterique illuſtres Domini, & quævis pene ſecula ejusmodi *Muſagetis* & *Mæcenatibus* ſuperbiunt, quorum nomina haud parca manu dat *C. A. Heumann* in (**) *Conſpect. Reipubl. Literar.* Non libet, nec licet nunc reſpicere ſpatia præteriti temporis, cum ætas quoque noſtra adeo ferax extiterit, ut literarum literatorumque amantes & ſtudioſiores ſat bene multos excitaverit, cum veteribus illis, qui *Mæcenates* & *Muſagetæ* audiverunt, omnem in partem comparandos atque æquandos. TV IPSE VIR PERILLVSTRIS, inter cæteras generoſas mentes, h. e. TVI ſimiles, ſplendidis & immortalibus in Muſas, Muſisque operantes meritis & beneficiis undiquaque cluis, illudque *Muſagetæ* & *Mæcenatis* elogium ac honorem jamdudum conſecutus es. Quis enim non ſingulares animi TVI virtutes, inter tot & tantos nobilitatis, dignitatis, munerum & honorum titulos domi foriſque laudat? quis non benefacta atque præmia, quibus, veluti machinarum ſubſidiis, literæ in altum evehuntur, prædicat? quis non doctrinam TVAM & optimarum artium ſcientiam celebrat? quis non denique TE Muſarum Patronum, Altorem & Vindicem demiſſe veneratur? Iam vero, cum ab antiquiſſimis temporibus, laudabili pietate (***), mos invaluerit, ut clientes, data

(*) De *Mæcenate* ſcriptores commemorat *Io. Albert. Fabricius biblioth. lat. tom. III. p.* 964. quibus add. *biblioth. novæ Rengerianæ* germanice editæ *tom. IV. p.* 297. *ſeqq.*

(**) *Cap. IV.* paſſim.

(***) Abunde hoc confirmant ſcripta & poemata *Virgilii*, *Horatii*, *Ovidii*, de quibus conſul. *I. A. Fabricius l. cit. cap. XII. c. XIII. c. XV.*

data quavis læta occaſione, ſcriptione ſolemni ſtudiorum Evergetis publica pro ipſorum ſalute vota nuncupent, beneficia, divite manu in ſe collata, prædicent, & ſe ſuaque ſtudia in poſterum quoque commendent: levitatis itaque pariter & temeritatis culpam, credo, effugiam, ſi & ipſe TVI NOMINIS devotiſſimus cliens publicum hujusmodi pietatis monumentum jam jam erigam. Memoria namque prolixiſſimæ TVAE benevolentiæ, qua me, nihil tale cogitantem, nedum merentem homuncionem beaſti, tanta gratiſſimi ſenſus ſuavitate me perfudit, ut, quicquid TVORVM in me beneficiorum extitit, intra pectus diutius continere nequirem; ſed erumpere in verba geſtit, urget, jubet animus, teſtesque requirit, quos & in TVORVM benefactorum conſcientiam trahere liceat. Me, fateor, & ſenſa animi, & verba deficiunt, quæ dignitatem TVAM deceant; at defectum ſupplebit ſumma modeſtia & ſubmiſſio animi, qua de TE ſemper ſentio, & ad TE jam ſcribo. Specimen literarii ſtudii mei exhibeo, quale in præſentia rerum eſt, non quale eſſe deberet, quo tamen in poſterum enitendi immota ſtat ſententia. Eccui autem, præterquam TIBI, DOMINE GRATIOSISSIME, quæ ſtudiorum meorum ratio ſit, exponere pietas efflagitat; cum TIBI me totum a puero debeam. Liberaliſſima cura TVA providit ſtudiis meis in ipſo ſtatim eorundem limine. TVA auctoritate & conſilio in Gymnaſium, quod *Ulmæ* floret, celebratiſſimum me recepi. TVO clementiſſimo juſſu & patrocinio munificentiſſimo ſuffultus, recens illud Muſarum domicilium florentiſſimum, *Georgiam Auguſtam Academiam* me conferam, &, ut multa paucis comprehendam, TE

 pro-

c. *XV.* Ex recentioribus unicum, & quidem præcipuum, *Marſilium Ficinum* allegabo, cujus vitam & ſtudia in *Coſmum* eleganter deſcripſit *Io. Georg. Schelhornius tom. I. amœnit. liter. p. 19. ſqq.*)

propitium mihi quavis occaſione abunde ſum expertus. Accipe ergo, MAECENAS INDVLGENTISSIME, has qualescunque ingenii & ſtudiorum meorum primitias, accipe animo & vultu favente, quo me meaque huc usque excipere dignatus fuiſti.

MAteriam autem ſcribendi, in qua TIBI profectus meos quodammodo probarem, non arceſſivi e longinquo, ſed, quaſi natam ſub manibus, cupide ſum amplexus. Novi anni tempus, quod ſereno Numine & TIBI, VIR GENEROSISSIME, illuxit, commodum temporis notionem animo ingeſſit, cui cominus & penitius contuendæ, aliquid temporis impendere, operæ pretium fore duxi. Quanquam absque hoc etiam ſi eſſet, quis inficias iret, eſſe hoc argumentum ejusmodi, ut ſponte ſe obtuliſſe videri queat. Naſcimur in tempore, vivimus in tempore, in tempore quieſcimus pariter & movemur, cum loquimur, tempus eſt, cum tacemus, tempus eſt, cum bene collocamus otium, tempus eſt, cum male, tempus eſt. Verum enim vero tam recondita eruditis viris dudum viſa fuit temporis natura, ut, ſi ullibi, hic certe intellectus noſtri tenebras, quaſi indignabundi, incuſarent. Rotundo ore *Cicero (a)* fatetur: *tempus ipſum generaliter definire, difficile eſſe.* Et quem fugit illud *Auguſtini (b)* dictum: *ſi nemo ex me quærat, quid ſit tempus, ſcio: ſi quærenti explicare velim, neſcio.* Cui addere lubet verba, quæ ſub initium iſtius colloquii, quod hac ſuper re cum Deo habuit, *(c)* leguntur: *ecce veteres poſuiſti dies meos, & tranſeunt, & quomodo, neſcio. Et dicimus tempus & tempus, tempora & tempora. Quamdiu dixit hoc ille? quamdiu fecit hoc ille? & quam longo tempore illud non vidi? & duplum temporis habet hæc ſyllaba, ad illam ſyllabam brevem, dicimus hæc & audimus hæc, & intelligimur & intelligimus. Manifeſtiſſima & uſitatiſſima ſunt: & eadem rurſus nimis latent, & non eſt inventio eorum.* Quibus calculum ſuum addit, duce *Epicuro*,

(a) *De inventione lib. I. p. m.* 80.
(b) *Lib. XI. confeſſ. cap.* 14.
(c) *Loc. cit. cap.* 22.

ro, *Gassendus (d)*; ille enim noluit de tempore loquentes aliis uti formulis, quam familiaribus, quæ de ipso extant. Consentit ex novioribus *Io. Christoph. Sturmius (e)*, cujus verba digna sunt, quæ hoc loco a me exscribantur: *& in rebus*, inquit, *quæ familiarissimæ nobis sunt, usuque communi notissimæ & quasi domesticæ, Tempus est præcipue; utpote quo totam vitæ nostræ rationem, rerum gestarum gerendarumque ordinem, &c. fatales terminos, quicquid denique domi forisque agimus, proponimus, deliberamus, &c. ita limitamus, definimus, circumscribimus, ut in obscuro futura omnia videantur, nisi cum cæteris etiam temporis circumstantia, imo hæc præcipue, lucem ipsis affunderet. Et tamen ipsum tempus, quod in partes ipsimet ex arbitratu nostro secuimus, (adeo nobis in manu quasi positum est) quid rei tandem sit, & qualis ejus natura, usque adeo nobis est inexplicabile, &c.* Agnoscunt & alii, umbram esse tempus, quam omnes videant, in qua omnes ambulent, quæ omnes & præcedat, & sequatur, & circumstet, quam tamen capere, & prehendere nemo valeat. Assimilant tempus anguillæ, quæ tam mitis est, tam mansueta, ut sub manus veniat nobis, eadem vicissim tam lubrica, ut, cum, eam comprehensam esse, putamus, non elabatur demum, sed elapsa jam sit. Hæc si doctiorum querela fuit, quam meam esse conveniet. At quis negat, plura olim tenebris involuta jacuisse, quæ sequior ætas in aprico posuit. Multis rebus, propria hominum culpa, circumfusa fuit caligo, quæ alias nativa radiarunt luce. Aliquid, quod luminis claritatem superaret, circumspicientes, pro luce, larvas & umbras captarunt, in rebus postmodum obscuritatem hærere, inique caussati, quam suo intellectui ipsimet obfuderunt. Id vitii carpunt Logici doctores sub titulo nimiæ abstractionis, qua eousque a rei attributis, modis, variisque respectibus abstrahere satagunt eruditi, donec, nimia subtilitate sua, & inanes & obscuri evadunt, ita, ut in mente nihil rei, in voce nihil, nisi vacuus & vanus sonus remaneat. Quin idem temporis notioni acciderit, nullus dubito. Accedit, multos solitos esse, ut de rebus ex indole & habitu vocabulorum, quibus efferuntur, judicium ferant admodum fallax. Inde, quia tempus substantivo nomine appellatur, de eodem, ac si absoluta quædam realitas, imo substan-

(d) Vid. ejusdem *animadversiones in Diogenem Laërt. p. 605.*
(e) *Philos. eclecticæ tom. II. exercitat. VIII. p. 323. seq.*

ſubſtantia eſſet, loqui aſſueverunt. Et, niſi me omnia fallunt, abſtractionis abuſui originem ſuam debet diviſio temporis, quod in internum, ſive metaphyſicum, & externum, ſive phyſicum & aſtronomicum, vulgo diſpeſcunt, qua in temporis idea, rem ejusque durationem, a durationis menſura, quæ in alia re eſt, irrito conatu dirimunt; illud nos plane fugere, hoc autem nos capere poſſe, dictitantes. Relatio enim, ſeu comparatio, quæ hic inter duas minimum res inſtituitur, eſt tantum cogitatio mentis, qua χέσει illarum rerum attendit, eamque voce exprimit, haud certe extitura, ſi mens intelligens, cum iſta ſua cogitatione haud exiſteret, licet termini comparationis, correlata vocant, itemque fundamentum, quo innititur hæc relatio unius rei ad aliam, exiſtere in rerum univerſitate poſſint, nemine etiam de iisdem cogitante. Accuratius, duce Anglo Philoſopho *Ioanne Lockio (f)*, rationes temporis ſubduxerunt noviores, qui tamen temporis vocabulo, æquivocationibus obnoxio, ſubjecerunt generalem durationis notionem, quam deinceps in notiſſimas ſpecies ſubdividunt, æternitatem puta, ævum, & tempus ſtrictiſſime acceptum. *Lockius* autem *(g)* ideam durationis ex reflexione, quam ipſe vocat, ſeu conſcientia, & experientia mentis interna, formare docet. *Tum enim cogitationem temporis nobis ſuboriri* indicat, *quando ideas, in mente noſtra ſibi invicem ſuccedentes, contendimus cum mente noſtra, quæ cogitat, atque permanet, h. e. exiſtit, cum interea quædam illarum eſſe deſierint.* In hoc itaque exemplo continuata mentis exiſtentia durationis nomine appellari debet. Id ipſum ſenſus, qui alterum cognitionis humanæ fontem conſtituunt, nos condocent, in duratione rerum, extra nos poſitarum, cum motibus v. gr. ſolis comparata. Vnde conſit, durationem nihil aliud eſſe, quam continuationem exiſtentiæ, qua res in exiſtendo permanet, adeoque ab exiſtentia re ipſa non differt. Omnis autem involvit relationem unius rei, quæ exiſtit, ad alias, ita ut, dum aliæ res exiſtunt, ea quoque, de cujus duratione quæritur, coëxiſtere, aut, ſi aliæ eſſe deſierunt, ipſa ſupereſſe dicatur. Hic autem, cum maxime menſuræ, & rerum menſuratarum ratio perſpecta eſſe debet, inter cæteras res, vel potius rerum modos, in quibus ordo ſucceſſionis,

prius

(f) *De intellectu humano lib. II. cap. XIV.*
(g) *L. c. §. 3.*

prius & posterius, obtinet, quique adeo mensuræ vicem sustinere possunt, est lunæ, & præcipue solis, motus, hinc mensium, illinc annorum & dierum mensuratio. Est hic mensurandi modus omnium longe accommodatissimus, durationi rerum, ubique locorum, perpetim & accurate designandæ, ob motum in utroque lumine, inde ab exordio mundi, continuum, omnibus sensibilem, constantem, regularem & æquabilem, nec nimis lentum, nec nimis celerem. Inde duplex mensura petita, altera minor, altera major; dies, nempe, & annus. Ille quidem a revolutione, sive vera, sive apparenti, solis prima seu communi, hic a secunda, seu propria. Moram enim illam, quam trahit sol, dum motu primo semel revolvitur circa terram ad idem punctum, a quo digressus erat, diem appellamus, & distinctionis quidem causa, naturalem; hujus quippe pars, mora scilicet solis supra horizontem, artificialis, & residua, mora videlicet ejusdem luminaris infra horizontem, noctis nomine insigniri consuevit. Inde minores rursus enatæ sunt mensuræ, hora scilicet, i. e. vigesima quarta pars diei naturalis, minutum horæ sexagesima pars, & secundum, minuti sexagesima pars. In majori autem mensura dies quasi conglomerati, & certæ periodi constitutæ sunt. Cujusmodi sunt, primo, periodus septem dierum naturalium, quæ εβδομας, sive septimana dicitur. Secundo, revolutio lunæ integra, quæ peragitur XXIX. diebus, XII. horis, XLIV. minutis, III. secundis, & mensis periodicus, item annus lunaris vocatur, vel vulgo ipsi æquivalens periodus quatuor septimanarum, mensis popularis dictus. Tertio, tota solis revolutio per Eclipticam, a certo ejus puncto (v. gr. æquinoctii, aut solstitii) ad idem, quæ absolvitur, CCCLXV. D. V. H. XLIX. M. atque annum solarem & tropicum appellamus. Quarto, annus lunaris complexus, ex duodecim lunæ mensibus periodicis, tanquam annis simplicibus constans, qui est CCCLIV. D. VIII. H. XLVIII. M. XXXVI. S. *(b)* In his quidem solis & lunæ motibus adest perpetua successio, seu prius & posterius, non tamen inde hæc successio, hæc momenta priora & posteriora rebus quibuscunque applicari debent, quas tamdiu durasse dicimus. Aliter de substantiis, aliter de modis est pronuntiandum. Modi quidem, actiones nempe & passio-

(b) Qua de re videri potest inter alios *Christ. Wolffius* in den Anfangs-Gründen aller Mathematischen Wissenschafften, III. Theil, *p.* 1478. *seqq.*

passiones sese invicem excipiunt, oriendo & intereundo, licet a quibusdam modis, aliquot minuta, sive secunda durantibus, successio utique tamdiu abesse possit, e. gr. a cogitatione uni rei attente inhærente. Verum enim vero substantiæ, v. gr. mentes, sub omnibus mutationibus cogitationum & volitionum suarum eædem permanent, & existentiam suam continuant. At scrupulum hic injiciunt corpora, in primis vegetabilia, animalia & humana, in quibus partes per transpirationem, & sudorem abeunt, & novæ per nutritionem accedunt, unde & substantiæ successivæ appellantur: at, præterquam quod juxta mentes, & reliquos spiritus corporeæ quoque dentur substantiæ, v. c. singulares materiæ particulæ, inanimatæ massæ, in quibus ejusmodi refluxus & affluxus haud deprehenditur, quasque ideo permanentes vocare moris est, e. gr. gemmæ, numi aurei, &c. sollicite discrimen tenendum est inter partes substantiarum successivarum solidiores & fluidiores. Illas, v. gr. ossa, ejusmodi vicissitudinem subire nemo facile probaverit. Substantia itaque talis composita, qua illas partes firmiores, durat, & eadem permanet, qua has successioni utique est obnoxia *(i)*.

Hisce de relativa temporis natura disputatis subjiciamus alteram dicendorum partem, quæ originem temporis mensurandi spectat. Res facti est, ad quam testandam produci idoneos autores necesse est. Prodeat primus *Herodotus*, antiquissimus ex gentilibus, quorum libros legimus, soluti sermonis scriptor, scribens *(k)*: *Aegyptios primos omnium hominum invenisse annum, eique XII. tempora distribuisse, atque hæc ex astris comperisse.* Succedat, eodem multo junior scriptor, *Diodorus Siculus*, qui id inventi Thebarum incolis tribuit. Ita enim de iis scribit *(l)*: *Thebani dicunt, se ipsos esse omnium hominum antiquissimos; & ab ipsis Philosophiam & exactiorem astrologiam fuisse inventam, adjuvante eos terræ situ ad illustrius cognoscendum ortus, & occasus siderum. Peculiari autem modo menses & annos apud se ordinatos esse. Nam dies non ad lunæ, sed ad solis motum exigentes, tricenos quidem dies mensibus attribuunt, sed post duodecimum quemque mensem V. dies cum quadrante intercalant; eoque*

(i) Observationem hanc debemus *D. Iac. Wilhelmo Feuerlino in dissert. de æternitate Dei*, *hab. Altorf.* 1734.

(k) *In histor. lib. II. cap. IV.*

(l) *Lib. I. biblioth. suæ historicæ.*

eoque modo circulum annuum abſolvunt. Verum *Herodotus*, fama Aegyptiacæ ſapientiæ, unde cetera omnis manaſſe credita fuit, permotus, ita ſtatuit, uterque autem, quantum ipſis cognitum fuit, teſtimonium perhibuit, in tantum fortean admittendum, in quantum Aegyptii juxta & Thebani, temporis menſuræ apud alios ævi ſequioris gentes auctores eſſe potuerunt, cum tamen eam ipſi, ab antiquioribus populis acceptam, ſuos docuerint, vel, levi etiam immutatione facta, perfecerint. Sed hoc loco quærimus hujus chronologiæ principium abſolute primum, cui reliquæ omnes nationes, vel proxime, vel remote, rationem computandi temporis ſuam debent. In ejusmodi facto teſtando, a memoria ſua quippe remotiſſimo, citati teſtes omnino deficiunt. Veriora longe & certiora nos condocet, omnibus antiquior, omnique exceptione major ſcriptor, *Moſes*, ſub initium *geneſeos* ſ. *annalium mundi (m)*, & ſiderum ortum, & ab iis tempora menſurandi originem ab ipſo Deo, mundi conditore, derivans. Poſtquam enim in principio cœlos & terram, una cum luce, omnipotenti ſuo verbo, ſeu voluntatis imperio producta commemoraſſet, ſubdit *(n)*: ויבדל אלהים בין האור ובין החשך: ויקרא אלהים לאור יום ולחשך קרא לילה ויהי־ערב ויהי־בקר יום אחד:

& dividit inter lucem & caliginem, lucem autem diem, caliginem, noctem vocavit, & fuere veſpera & mane unus dies. Dein in locum & uſum primigeniæ lucis die quarta ſucceſſiſſe lumina cœli dicendo pergit *(o)*: ויאמר אלהים יהי מארת ברקיע השמים להבדיל בין היום ובין הלילה והיו לאתת ולמועדים ולימים ושנים: והיו למאורת ברקיע השמים להאיר על־הארץ ויהי־כן: ויעש אלהים את־שני המארת הגדלים את־המאר הגדל לממשלת היום ואת־המאור הקטן לממשלת הלילה ואת הכוכבים:

& dixit Deus, in expanſo cœli fiat unum luminare poſt alterum, quæ dividant noctem inter & diem, & ſint in ſigna, ſtata tempora, dies & annos, ac ſint in lumina in cœlorum expanſione, ad lucendum ſupra terram, & fuit ita. Fecit enim Deus duo lumina magna, lumen magnum in dominium diei, & lumen minus in dominium noctis, atque ſtellas, &c. De authentia hujus teſtimonii nulla unquam lis mota fuit. Senſum in

(m) *Cap. I.* paſſim.
(n) *Verſ.* 4. *ſeq.*
(o) *L. i. all. verſ.* 14. 15. 16.

in ſe planum pleniorem modo exhibere liceat. Deus, qui intra ſextiduum mundum creare, neque tamen ſolem ante quartum diem terris illucere volebat, lucem ex tenebris emicare juſſit, ut illius ortus & occaſus triduum emetirentur; alias enim trium primorum dierum opera ab inſequentis diei operibus, ut tempore diſtincta, intelligi haud potuiſſent *(p)*. Deo itaque efficaciter volente, alterum terrarum orbis hemiſphærium luce illuminatum fuit, quæ intra νυχθημερα ſpatium terram, ad inſtar ſolis ambiit, unde ex quo lux effulſit, & circa terram acta eſt, dies & noctes numerari, atque lux & tenebræ tempore dividi potuerunt, cum antea una nox exiſteret. Has temporis partes, noctem & diem vocavit Deus, i. e. certis nominibus poſthac diſtingui voluit, id quod ſummi in eas dominii ſui indicium merito habetur. Sic fuere veſpera & mane, i. e. nox & dies, quibus unus, isque primus, abſolvebatur dies. Quarto denique die poſuit in cœlis ſtellas, &, inprimis, duo lumina magna, oculis noſtris ſic viſa, quibus viciniores ſunt ſol & luna, quam ſtellæ fixæ, & majores planetæ. Hæc lumina inſervitura voluit, in ſigna & ſtata tempora, quæ inter anni & dies præcipua ſunt, quippe ſecundum quos, & naturales tempeſtates, & civilia & ſacra negotia diſpertimur. Solem diei, lunam nocti præeſſe, & multiplici in terram, ejusque incolas, uſu prodeſſe ſapientiſſime ſanxit. Fecit & ſtellas, itidem ad lucendum noctu ſuper terram, & ad diſcrimina quoque temporum indicanda. Authentia itaque & ſenſu teſtimonii ſalvis, de ipſius teſtis αξιοπιςια diſpiciendum erit. Atqui *Moſis* in teſtando auctoritas, qua, eundem verum & potuiſſe & voluiſſe literis mandare, cum animi fiducia judicamus, invictis dudum argumentis aſſerta fuit, quæ, uti pro toto operis ſui argumento, ſic &, conſequa ratione, pro hujus περικοπης veritate militant. Iuvat tamen, ne telum, quo petivimus *Herodotum* & *Diodorum*, in nos retorqueatur, ac ſi ipſe *Moſes* re, quam teſtetur, longis retro temporum intervallis junior ſit, paucis oſtendere, quam facili negotio is in hujus rei notitiam certam venire potuerit, ſi etiam tantis per κατ ανθρωπον ejusdem θεοπνευςιαν ſe ponere velimus. Quinque enim, vel ſex hominum miniſterio hujus rei fama haud corrupta ad eum dimanare potuit. Vix namque

(*p*) Quæ & qualis illa luminoſa ſubſtantia fuerit, philoſophorum conjecturas vide, inque iis *Treuneri* præcipue & *Wideburgii.*

que duæ inter Noachum & Amramum, *Mosis* patrem, intercesserunt generationes; Noachus autem omnes ante diluvianos patres, si a solo Adamo, Setho & Enocho discesseris, vivendo attigit, adeoque nonnisi tres generationes ab ortu mundi abfuit. Sed nos quidem Christiani non tam ob id humana, quam divina fide credimus *Mosi*, vel potius summo Deo, per calamum ejus infallibiliter testanti. Hac fide, quam spiritus Dei, qui, uti *Mosis*, sic & reliquorum sacrorum librorum, argumento & sensui efficacissime præsens est, in nobis gignit, amplexamur quoque cetera Dei hac de re testimonia, in ora stilosque prophetarum dictata, *v. gr. Psalm.* CXXXVI. *vers.* 7. *seqq. Ierem. cap.* XXXI. *vers.* 35. Imo apud eundem vatem *cap.* XXXIII. *vers.* 20. 25. dispositionem luminarium ad dimetienda tempora appellat ipse Deus fœdus suum, a nemine irritum faciendum. Hisce *Mosis*, & aliorum Dei virorum, de divina temporis mensuræ origine testimoniis ipsa rei consideratio argumentum addit, ut adeo & hic divinæ revelationi ratio sibi relicta consentiat. Philosophorum scitum est, rerum usus esse indicia finium, i. e. supponere causæ efficientis volitiones, de bonis hisce per effectum obtinendis, si nimirum tanta inter res, quarum usum mutuum quotidiana experientia ostendit, intercedat relatio & coordinatio, ut, hac sublata, usus intercidant, posita autem, & ii omnes continuo consequantur. Jam terræ ad solem & lunam tam manifestus est respectus, ut, si lunam & solem e medio tollas, evanescant annorum & mensium vicissitudines, dierum, noctium & horarum discrimina. Is horum luminum usus tam evidenter se prodit, ut facili ratiocinio homines addiscere possint, eundem etiam esse horum finem a Creatore intentum. *Aratus*, excitatione *Hug. Grotii* (q), de Iove sic canit:

Αυτος γαρ τα γε σηματ' εν ουρανω εστηριξεν,
Αστρα διακρινας. εσκεψατο δ' εις ενιαυτον
Αστερας, οι κε μαλιστα τετυγμενα σημαινοιεν
Ανδρασιν ωραων, οφρ' εμπεδα παντα φυωνται.

 Ipse

(q) *De veritate relig. Christ. lib. I. p. 35. edit. Parisiens. A. MDCL.* quæ seorsim prodiit, frustra renitente & pro contraria affirmanda sententia contendente *Io. Christ. Kœchero*, vid. *ejusd. dissert. epistol. Historiam libelli Grotiani de veritate religionis christianæ, complectens.* §. *XI. p. 7.*

Ipſe etiam in magno defixit ſidera mundo
Ordine quæque ſuo, atque in totum providus annum
Aſtra dedit, quæ nos moneant, qua quælibet hora
Apta regi, certa naſcantur ut omnia lege.

Concinit *Ovidius*, ibidem citatus, his verſibus:

Tot numero, talique Deus ſimulacra figura
Impoſuit cœlo, perque atras ſparſa tenebras
Clara pruinoſæ juſſit dare lumina nocti.

Plinius (r) ſolem, inter alia elogia, veluti *temporum rectorem* dilaudat, & eleganter *lunam in tenebrarum remedium ab natura repertum eſſe* ait *ſidus*. Lectione quoque dignum eſt, quod Cicero hac de re pronuntiat *(s)*: *cum videmus*, inquit, *tum viciſſitudines dierum, atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem & ducem ſolem, lunamque, accretione, & diminutione luminis quaſi faſtorum notantem & ſignificantem dies: tum in eodem orbe in XII. partes diſtributio, quinque ſtellas ferri, eosdem curſus conſtantiſſime ſervantes, diſparibus inter ſe motibus, nocturnamque cœli formam undiquaque ſideribus ornatam*, &c. *Hæc igitur & alia innumerabilia cum cernimus, poſſumus ne dubitare, quin his præſit aliquis conditor vel effector.* Deus itaque, concludamus enim, terræ luminumque cœli effector potentiſſimus, hæc corpora in tali ſitu motuque ſibi invicem coordinavit conſtantiſſima voluntatis ſuæ lege, ut, quem uſum in temporum rationibus hominibus præſtent, ab ipſomet Deo ſapientiſſimo conſilio intentum fuiſſe, vel ratio hominis ſibi relicta dictitet. Quin jam hic uſus ſcopusque primo ſtatim homini, ceu terræ domino, innotuerit, nullo jure dubitare poſſumus, ſive is divino oraculo hac de re monitus fuerit, ſive naturali mentis ſagacitate, qua ſumma, cum adhuc integer eſſet ſcelerisque purus, pollebat, id ipſum animadverterit. In hoc Adami ſcientiam aſtronomicam, ſi qua dici poteſt, quam maxime conſtitiſſe, opinamur. Ab Adamo poſteri ejus edocti dies & noctes, annos & menſes, in numerato habuerunt. In prima namque mundi

(r) *In hiſtor. nat. lib. II. cap. VI.*
(s) *Tuſcul. quæſt. lib. I. p. m. 162. ſeq.*

di ætate, quæ ab hujus initio usque ad terræ diluvium exporrecta est, & cujus priorem partem Adamus, posteriorem Metusala emensi sunt, dierum & noctium, annorum & mensium crebra facta fuit mentio. Sic Deus Noacho certum annorum non modo & mensium, sed & dierum & noctium numerum præfinivit, quo elapso, terram undis perditurus erat. Mensium item primi, secundi, septimi & decimi distincta fit mentio, non, quod plures annus haud complexus fuerit, sed quod in ceteris mensibus nihil evenerit, quod *Mosi* commemorandum foret. Constat quoque, menses triginta diebus fuisse circumscriptos, quum a decima septima die secundi mensis usque ad decimam septimam septimi mensis dinumerentur centum & quinquaginta dies (*t*). Septenarium porro dierum circulum ex ipsa creationis intra septiduum factæ historia compertum exploratumque habuere primi homines cum suis posteris. Peculiaris autem hebdomadis & singulorum dierum appellatio, distincte tradita, haud legitur. Præfidenter itaque *R. Jehuda* (*u*): *Adam*, inquit, *pulsus est e paradiso nocte sabbathi, atque inde initium numerationis dierum, quæ sex creationis diebus innititur. Atque ibi incepit Adam nomina diebus imponere.* Forte tamen hinc est explicanda loquendi forma, qua *Moses*, primam fratrum bigam sacrificia sua Deo obtulisse, scribit (*x*): מקץ ימים, *a fine dierum*, i. e. septimo & ultimo die, quem Deus externo & publico cultui sui nominis ab initio statim consecrari jussit. Ne quid tamen dissimulem, dies h. l. de anno accipiunt alii (*y*). Id quod & oblatio Caini e fructu terræ portendere videtur; ejusmodi enim sacrificia, absoluta messe, a Deo in populo peculii sui postea quoque sancita vel restaurata leguntur (*z*). Vnde ad concludendum facile esset, annum Iudæorum civilem, cujus initium in mense Tisri, qui Septembri nostro respondet, a novilunio autumnalis æquinoctii ductum fuit, a primis confestim mundi initiis obtinuisse. Secundum hunc annum illi tempora mundi conditi supputant, & tempus anni quietis,

(*t*) *Genes. VII. & VIII. cap. coll. c. XXIV. vers. 55.*

(*u*) *In dialogo, Sepher Cosri dicto,* ex allegat. *Witsii* lib. III. *Aegyptiacorum p.* 241.

(*x*) *Loc. cit. cap. IV. vers. 3.*

(*y*) Coll. locis *Genes. cap. XLI. vers. 1. & Levitici c. XXV. v. 29.*

(*z*) *Exod. c. XXIII. v. 16.*

tis, annumque jubilæum, haud obſcuro indicio ad tempus habito, quo, & intra quod univerſitas rerum effecta fuit. Inde probabile eſt, primos mundi incolas terræ ſuperficiem, a ſe inhabitatam, primum conſpexiſſe, qualis eſt ſub autumni tempeſtatem. Eosdem præterea annum in tempeſtates primitus jam partitos eſſe, dubio caret *(a)*: at, quot numeraverint, ob varias in cit. loc. obviarum vocum acceptiones haut ita explorata res eſt. Si LXX. *Interpretum*, *Vulgatam*, & *b. Lutheri Verſionem* audiamus, duæ modo tempeſtates tum numerabantur; ibi θερος και εαρ, æſtas & ver, hic æſtas & hyems, ibi reſpectu ad ſationem & meſſem, hic ad æſtum & frigus habito, ſed utrobique ordine vocum haud ſervato. At cum alibi in divinis ſcripturis annus in duas tempeſtates, unam calidam, alteram frigidam dividatur *(b)*, *vulgatæ & noſtræ translationi* major præ LXX. *virali verſione* accedit probabilitas. Verum, præterquam quod hæc generalis anni diviſio, illam in quatuor nequaquam reſpuat, magis probamus interpretationem, quæ quatuor tempeſtates exhibet *(c)*, eo quod, ordine minus trajecto, verbis aptum ſubjiciat ſenſum. Sic enim verba Dei ſecundum hanc ſententiam ſe habent: *non amplius futurum eſt, ut per omnes telluris dies ceſſent ſementis & meſſis*, קור *frigus*, *ſeu hyems*, חום, *æſtus*, qualis, extremo vere, in Palæſtina eſſe ſolet *(d)*, קיץ, *æſtas* intenſiſſimi in illa terra caloris, qui fere tædio ſit, & חרף *autumnus (e)*, quæ vox apud Arabas reſidua adhuc autumnum, & per metaphoræ tropum ætatem virilem denotat. Diei denique in certas horas diſtributionem quod attinet, eam ante diluvium, & poſt id per longum tempus incognitam fuiſſe, facile largimur, cum hujus inſtituti nulla mentio, quæ tamen ſæpiſſime fieri & debuiſſet & potuiſſet, injiciatur. Prima demum horarum & horologii commemoratio in ſacris libris facta fuit ſub ætatem Regum Iudæ, Achazi & Hiskiæ *(f)*. Eodem modo majora diei ſegmenta, certis loquendi formis appellitata, diu in uſu veteribus quoque fuiſſe, libri

(a) Ex *Comm. ult. Geneſ. cap. VIII.*
(b) *Pſal. LXXIV. verſ.* 17. & *Zach. c. XIV. v.* 8.
(c) Legitur ea in *Io. Clerici Comment. in h. loc.*
(d) Coll. *Eſai. cap. XVIII. verſ.* 4.
(e) Coll. *Proverb. c. XX. v.* 4.
(f) *II. Reg. cap. XX. verſ.* 9.

bri divini teſtantur *(g)*. Talis φρασις eſt, qua *Moſes (h)* utitur: לרוח היום *ſub aura diei*. Ubi quidam interpretes pomeridiani temporis priorem, alii poſteriorem partem intelligunt, quibus poſtremis conſonat *b. Lutheri verſio*; *Io. Clericus* autem id tempus diei de aura ſub diluculum flante exponit *(i)*. Adducta argumenta, credo, ſatis ſuperque nos condocefaciunt, quomodo tenebras lux, hanc lumina cœli exceperint, quis horum uſus finisque a Deo ipſo inſtitutus fuerit, & unde prima & huic proxima hominum ætas omnem dimetiendi temporis rationem didicerint. Ab hac per Noachum ejusque familiæ capita ea notitia tranſiit ad omnes habitabilis orbis gentes, quæ ab aliquibus, accedente, ope accuratius in luminibus cœli inſtitutarum obſervationum, arte, in dies magis magisque culta, aucta & perfecta fuit; ita tamen, ut nonniſi, jactis jam ab initio mundi fundamentis, hæc chronologiæ ars inædificata fuerit. Veſtigia hujus traditionis inter cunctas fere gentes, de quibus aliquid memoriæ proditum eſt, deprehenduntur, quæ adeo novum, idque ultimum ſuppeditant argumentum, quo divina temporis menſuræ origo, qualem *Moſes* in literas retulit, evinci poteſt. Iuvat paucis hæc veſtigia relegere. Vetuſtiſſimam apud omnes gentes famam ita habuiſſe, ut *Moſis* ſcripta prædicant, ſcribit *H. Grotius (k)*, & latius in ſequentibus probat. Nos ex eo aliisve pauca, ea tamen luculenta teſtimonia, quæ ſpectant præſens inſtitutum, colligemus. Miſſa quidem h. l. facimus, quæ ex *Sanchuniathonis* maxime & *Orphei* theologia adduxit *Grotius*, non quod omnia plane iis ab interpretibus, ſeu mavis, impoſtoribus afficta putemus; ſed quod nullum κρητηριον ſuppetat, vera a fictis dignoſcendi. Extitiſſe certe harum rerum multo antiquiſſimam traditionem, arguunt ipſi teſtes, quos haud rejiculos in medium jam afferemus, cum, eos ſua aliunde, a barbaris nempe gentibus, quas ſic vocare moris erat, accepiſſe, ipſa illorum teſtimonia evincant. Primum ſingularium hominum, dein integrarum gentium teſti-

(g) Geneſ. c. XXIX. v. 7. Iud. c. XIX. v. 8. 11. Cant. c. II. v. 17. I. Sam. XI. v. 9.

(h) Geneſ. c. III. v. 8.

(i) Id quod probat in *Comment. ad h. l.*

(k) Vid. *editio Kœcheriana, prod. A.* 1726. *§. XVI. p.* 29.

teſtimonia & inſtituta producamus. *Heſiodus*, uti tenebras lux, noctem dies exceperit, ſic canit *(l)*.

Εκ χαεος δ Ερεβος τε μελαινα τε Νυξ εγενοντο.
Νυκτος δ αυτ Αιθηρ τε και ημερα εξεγενοντο,
Ους τεκε κυσσαμενη, Ερεβει φιλοτητι μιγεισα.

Hinc Erebum ſimul & Noctem Chaos edidit atram,
Aethera ſupremum genuit Nox atra, diemque,
Quos commiſta Erebo grato concepit Amore.

Ipſa res, ut & vocabulum Erebi *Moſaico* ערב reſpondens, traditionem ſapiunt. Fictio conſanguinitatis & matrimonii tropi lumen eſt, quo rerum, quas ſic jungunt, in natura aut tempore nexum exprimere poëtarum mos fert. *Ariſtophanes* quoque *(m)* in hanc rem ita canit:

Χαος ην και νυξ Ερεβος τε μελας πρωτον και Ταρταρος ευρυς.

Chaos & nox primum erat atque Erebus nigricans & Tartarus ingens.

Hæc verba ipſe *Lucianus* cum *Moſis* hiſtoria confert *(n)*, dicens: ην φως αφθιτον, αορατον, ακαταvoητον, ο λυει το σκοτος και την ακοσμιαν ταυτην απηλασε, λογω μονω ρηθεντι υπ αυτε, ως ο βραδυγλωσσος απεγραψατο, ουρανον ετανυσεν, αστερας εμορφωσεν απλανεις, δρομον διεταξατο. *Erat lux incorruptibilis, inviſibilis, incomprehenſibilis, quæ diſſolvit tenebras, & in formitatem iſtam abegit, verbo ſolo dicto ab ipſa, quemadmodum tardilinguis iſte deſcripſit: cœlum explanavit, ſtellas formavit fixas, curſum ordinavit.* Sic *Thales (o)* rotundo ore quærenti, quid prius fuiſſet, nox an dies? reſpondit, *noctem fuiſſe priusquam fuiſſet una dies:* προς τον πυθομενον τι προτερον εγεγονει νυξ η ημερα; η νυξ (εφη) ΜΙΑ ημερα προτερον. Primigeniæ lucis &, qui ei ſucceſſit, ſolis mentionem haud obſcuram injicit *Empedocles (p)*, commemorans δυο ηλιες, τον μεν αρχετυπον, τον δε φαινομενον. *Duos ſoles, alterum originalem, alterum eum qui appareat. Platonis* ſenten-

(l) In *Theogonia v.* 123. *ſeqq.*
(m) In *comœdia*, qui inſcribitur Ορνιθες, ſ. *Aves.*
(n) In *Philopatride.*
(o) Teſte *Diog. Laërtio, lib. I. de Vit. Philoſ. Segm.* 35. 36.
(p) Vid. Opera *Plutarchi lib. II. cap.* 20.

ſententiæ Hebræam gentem conſentientem affert *Chalcidius* in ſuis commentariis in illius *Timæum (q)*. Sic & inſtituta apud gentes uſu recepta fuerunt, quorum probabilis ratio non aliunde, niſi ex antiquiſſima traditione dari poteſt. Pertinet huc mos tempora per noctes numerandi. Οι Νομαδες των Λιβυων ȣ ταις ημεραις, αλλα ταις νυξιν; αυ]ων αριθμȣσι τον χρονον. *Numidæ in Libya non ex diebus, ſed ex noctibus tempora ſua computant*, ait *Nicolaus Damaſcenus (r)*. *Athenienſes (s)* a ſole occaſo ad ſolem iterum occidentem omne id medium tempus unum diem eſſe dicunt *(t)*. Ex eodem fonte derivamus, quod Dianam, quæ eſt Luna & nocti præeſt, priusquam Apollinem, ſive Solem, natam eſſe Græcorum mythologia tradit *(u)*. Nec multum abludit conſuetudo Aegyptiorum & Romanorum, qua ſingulos dies a media nocte usque ad mediam proximam annumerant (*x*), quam conſuetudinem plerique Europæ incolæ hodienum ſequuntur. A quo præterquam ad primas mundi origines reducemus honorem diei ſeptimi temporumque digeſtionem per hebdomadas. Harum uſum & illius memoriam in omnibus fere gentibus oſtendunt *Grotius* (*y*) & *Petr. Dan. Huetius* (*z*). Equidem haud ſuſtinemus horarum & horologiorum inter gentes uſum ab Iudæis auctoribus repetere; id tamen compertum exploratumque eſt, inter Græcos per duo fere ſecula ſerius hanc minorem temporis menſuram inventam fuiſſe. Sic *Plinius*

(*q*) *Pag.* 223. conſul. *H. Grotius loc. cit. §. XVI. p.* 51.

(*r*) Apud *Stobæum ſentent. ſerm. XLII. fol.* 293. ex cit. *Grotii & Kœcheri l. & §. alleg. p.* 40.

(*s*) Vid. A. Gellii Noct. Attic. lib. III. c. II. p. 209. edit. Lugd. 1706.

(*t*) *Kœcherus* quidem hunc morem ex corrupta & falſa intellecta traditione originem ſuum traxiſſe autumat, eo quod tenebræ quidem lucem, non item nox diem anteverterit. Verum præterquam quod expoſitio ſua com. V. Geneſ. I. manifeſtam ſimplicitati verborum *Moſis* vim inferat, quid fiet de Hebræis eundem morem tenentibus, num & hunc ex corrupta falſoque intellecta traditione manaſſe dicet, non putaverim.

(*u*) Conf. *Huetii Demonſtrationes Evang. p.* 119. *edit. Lipſ.* 1694.

(*x*) Vid. *Huetius & Gellius locis citatis.*

(*y*) *Loc. cit. p.* 54.

(*z*) *Loc. cit. p.* 85. 264. 274. Præ cæteris autem conferantur diſput. *Wernsdorfii & Syrbii.*

nius (*a*) Anaximenem, *Laërtius* (*b*) vero Anaximandrum, hujus præceptorem, primum Gnomonices inventorem dilaudant, quanquam & ipſam hanc artem aliunde in Græciam invectam *Herodotus* (*c*) teſtetur. Sic enim ſcribit: γνωμονα και τα δυωδεκα μερεα της ημερης, παρα Βαβυλωνιων εμαθον Ελληνες. *Gnomonem partesque diei duodecim, Græci a Babyloniis didicerunt.* Is ipſe quoque (*d*) ſua ætate diem, verum æquinoctialem, in duodecim partes diviſum fuiſſe, tradit. Vnde laudatus *Salmaſius* conjicit, horarum & horologiorum uſum apud Græcos non multum anteceſſiſſe Alexandri M. ætatem. Penes Romanos CCCCLXXVII. annos elapſos eſſe refert *Plinius*, cum a M. Valerio Meſalla horologium in foro poneretur, Catina capta, ex Sicilia advectum. *Cenſorinus* (*e*) horarum nomen non minus annos trecentos Romæ ignoratum fuiſſe, credibile eſſe, ſcripſit. Generaliſſimis ante id tempus uſi ſunt cum Græci, tum Romani loquendi formis. In legibus Atticis ſuprema diei hora ita circumſcribitur: ει εςιν ηλιος επι των ορων, *donec ſol juga montium tranſcendat, h. e. occidat* (*f*). Diei tempus in XII. Tabulis Romanorum ſic diſcriminatum legitur in *Gellio* (*g*): ***Ante. Meridiem. Cauſam. Conſcito. Quom. Perorant. Ambo. Præſentes. Poſt. Meridiem. Præſenti. Stlitem. Addicito. Sol. Occaſus. Suprema. Tempeſtas. Eſto.*** Id quod nemini mirum videbitur, qui in recentiſſima quoque hiſtoria horarum defectum apud populos relatum leget. Sic *Auger. Gislen. Busbequius* (*h*) de ſua ætate teſtatur, Turcis horas non eſſe, quibus diei ſpatia diſtinguerent. Diem namque ſolum eos in quatuor majora aut minora intervalla, prouti anni tempus fert, diſpeſcere. Anni porro quod attinet in duodecim menſes diſtributionem, eam in prima mundi ætate diviniorem prodere originem ſupra docuimus, & vel exemplo aliarum gentium confirmari poteſt, quæ, licet artis aſtronomicæ

(*a*) *Lib. II. Hiſt. Natur. c. 78.*
(*b*) *Lib. II.*
(*c*) In *Evterpe.*
(*d*) Ex citatione *Salmaſii in Solinum p. 641.*
(*e*) De *die natali cap. 22.*
(*f*) Apud *Stobæum ſerm. I.*
(*g*) *Lib. XVII. cap. II. p. 751.*
(*h*) Legationis Turcicæ *epiſt. I. p. 40.*

cæ accuratiori notitia, æque uti prima hominum progenies, caruerint, haud tamen tam felicibus esse contigit, ut anni tempus æquali accuratione definire potuerint. Arbitraria, non ad leges astrorum adstricta, divisio anni apud illos obtinuit. De Atheniensibus Ammonius Hermeas scribit: διηρητο παρ Αθηναιοις ο ενιαυτος εις δεκα πρυτανειας, οσαι και Φυλαι ησαν. *Distribuebatur apud Athenienses annus in decem menses, quot etiam tribus erant* (*i*). De Romulo cecinit *Ovidius* (*k*):

Tempora digereret cum conditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo:

quanquam jam ante Romam conditam annus decimestris obtinuerit (*l*). Vestigia antiquissimi moris annum ab autumno inchoandi deprehendimus apud Aegyptios & Phœnices, quos annum a Septembri mense auspicatos fuisse docet Huetius (*m*). Generalem denique anni in duas tempestates, æstatem & hyemem, suam quoque, teste Clerico (*n*), veteres & Latini & Græci quandoque fecerunt. Verum plura persequi & festinatio & voluminis angustia prohibet. Avocant nos ab aliis gentibus nostri majores. Quæ prisci moris, tempus numerandi, apud Germanos vetustissimorum rituum præ aliis tenaciores remanserint vestigia, strictim visuri sumus. Vbi primum occurrit, quod ex antiquissimo instituto νυχθημερον ab occasu solis cœperint. Testem excitamus *C. Cornel. Tacitum* (*o*), scribentem: *nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt. Nox ducere diem videtur.* De Gallis, qui in vitæ consuetudine proxime a nostris abfuere, idem refert *C. Jul. Cæsar* (*p*); *Galli se omnes*, ait, *a Dite Patre, prognatos prædicant, idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium finiunt, & dies natales & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.*

(*i*) Vid. *Gellius l. c. p.* 248. *in not.* 33.
(*k*) *Lib. I. Fastorum.*
(*l*) Vid. idem *Ovidius lib. cit.*
(*m*) *Loc. cit. p.* 119.
(*n*) In *notis* ad Genes. VIII. com. ult.
(*o*) De *situ, moribus & populis Germaniæ cap. XI. p.* 70.
(*p*) In VI. *Commentar. lib. c.* XVII. 1.

quatur. De Septentrionalibus populis, ſpeciatim Danis *Wilh. Langius* (*q*), ut & Anglis idem oſtendunt *Keyslerus* (*r*) & *Phil. Cluverius* (*s*), quibus familiare eſt unam & duas hebdomadas VII. XIV. **Nächte**, contrario nobis more appellare. Nihil etiam frequentius eſſe in legibus ſalicis, quam ut intervalla cauſſarum civilium per noctes connumerentur, probat *Juſt. Chriſtoph. Dithmarus* (*t*), qui & *Eccardum* laudat, docentem, hunc morem apud Germanos diu obtinuiſſe. Vnde fortaſſis eſt, quod inter Polonos, Bohemos & in aliquibus Germaniæ locis ſignum campana datum, quo occaſum ſolis intimatur, **den Garaus** vocant. Dies in hebdomadas diſtinctos fuiſſe comprobant vel antiquiſſima apud Germanos, Gallos & Britannos dierum nomina. I. erat **Sonntag** a **Sunna** ſole, ſ. Freio; II. **Maandag** a **Maan**, luna; III. **Tuisdag**, **Thißdag**, **Thinsdag**, a Tuiſtone, Romanorum Marte; IV. **Woensdag**, adhuc a Belgis ſic dictus, ab Odino, ſive Wodano, Romanorum Mercurio; V. **Thorsdag**, a Thorons, Roman. Iove; VI. **Fridag**, a Frea vel Fricea, Roman. Venere; VII. **Saterdag** a Satar Roman. Saturno (*u*). Sunt quidem viri doctiſſimi, v. gr. *Io. Marshamus*, qui hebdomadicum dierum orbem ex Mathematica diſciplina, atque ex intimo Aegyptiacæ antiquitatis penu depromptum fuiſſe perhibent, in ſubſidium ſententiæ *Herodotum* (*x*) & *Dionem Caſſium* afferens. Hic (*y*) *inventum*, ait, *Aegyptiorum eſt quod dies adſignantur ſeptem ſtellis, quæ planetæ vocantur.* Ille (*z*) pari modo; *Alia etiam ab Aegyptiis inventa ſunt.* μεις τε και ημερη εκαςη θεων οτεν εςι, *quis menſis, & quis dies cujusque ſit Deorum.* Sed allata teſtimonia modo inferunt, ſingulis

(*q*) De *anno Chriſti lib. I. p.* 26.

(*r*) *Antiq. ſelect. Sept. & Celtic.*

(*s*) *Lib. I. Germ. Ant. c. XXXIII.*

(*t*) *Ad locum cit. Taciti.*

(*u*) Vid. **Arnold von den Wochen und Götzen-Bildern der Teutſchen** *C.* 3. *p.* 23. *ſeqq. & plures alii.* **Sambßtag** idem ſonare ac **Sabbathstag** conjicimus.

(*x*) De *Herodoti* verbis dubium quidem movet *Kœcherus p.* 56. Sed plana omnia nobis videntur, ſi in memoriam revocamus, Romanos olim menſibus ſingulis præfeciſſe Numen, quidni idem de Aegyptiorum ſuperſtitioſa anxiaque vanitate dicemus. Numina autem, quibus menſes dicati erant, indicat *Rhodiginus* in *Antiq. Lect. lib. XXV. c. XXX.*

(*y*) *Lib. XXXVI. p.* 37.

(*z*) *Lib. II. c. LXXXII.*

ſingulis ſeptem diebus ab Aegyptiis VII. planetarum, quos Deos coluere, nomina eſſe impoſita; id quod facile largimur. At quod hebdomadas a ſeptem planetis potius, quam a creatione inter VII. dies duxerint, inde haud inferri poteſt: quidni enim ideo Aegyptii & Græci VII. planetis VII. hebdomadis dies adſcripſerunt, eo quod ab aliis acceperunt, VII. duntaxat diebus minorem temporis menſuram eſſe circumſcriptam. Et quæ idonea, ſcilicet! ratio, dantur VII. planetæ, ergo & ſeptenarius dierum circulus, cur non potius duodenarius dierum numerus arriſit, petita numerandi ratione a XII. Zodiaci ſignis, per quæ ſol revolutus menſes & annum abſolvit. Vniverſalis fere gentium in ſeptenarium dierum orbem conſenſus, isque antiquiſſimus mundi primordiorum hiſtoriam, ceu cauſſam adæquatam & ſtringentem manifeſto prodit. Bene itaque *Philo* (*a*) hunc cyclum vocat morem πανδημον και τε κοσμε γενεσιον, *ab omnibus gentibus receptum cumque mundo natum* (*b*). Sed redeamus in viam, ex qua pauliſper divertimus. Majores noſtri majora inſuper temporis intervalla obſervaverunt, utriusque luminaris habentes rationem. Partitio anni in XII. Menſes uſitatiſſima olim fuit, quos ad motum lunæ diſtinxerunt, id quod non tantum vocis antiquæ Monat ἐτυμον, ſed & *Taciti* teſtimonium comprobant (*c*), dicens: *coeunt, niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur Luna, aut impletur, nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt.* Subdimus Plinium teſtem, ſcribentem (*d*): *ſexta Luna principia menſium, annorumque his facit.* Quare a ſexta luna menſes ſuos auſpicati ſint, res eſt obſcura. *Aegid. Strauchius* (*e*) inter

(*a*) *Lib. I. c. VI. §. VII. de Opif. Mundi.*

(*b*) Accipienda eſt hæc phraſis univerſalitate morali, exceptiones admittente, quæ ita dicitur, non quod in morali diſciplina obtineat, ſed quod tam vago loquendi modo de moribus hominum judicium plerumque ferant mortales. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

(*c*) *Loc. cit. cap. XI. p. 69. ſeq.*

(*d*) *Lib. XVI. c. XLIV.*

(*e*) In diſſ. de *Computo. Veter. German.* quæ extat in *Crenii Faſcis Exercitationum Philologico-Hiſtor. T. I. p. 337.*

inter alia etiam *Phil. Cluverii* ὑποθεσιν affert his ejus verbis: *cujus rei nullam rationem video, niſi quod genus mortalium ſexto demum die, poſt principium mundi, originem ſui cepit.* Id quod in medium relinquimus. Nomina, quibus menſes inſigniti ſunt ante Caroli M. ætatem, qui eadem immutavit, exhibet idem Strauchius (*f*), qui & annum Germanorum priſcum lunæ-ſolarem fuiſſe docet, quæ antiquiſſima & mundo coæva fuerit anni forma. Neque vetuſtiſſima anni totius in duas tempeſtates diviſio noſtratibus ignota fuit, qua de re audiamus *Bedam* (*g*): *principaliter annum totum, in duo tempora, Hyemis videlicet & æſtatis diſpartiebant: ſex illos menſes, quibus longiores noctibus dies ſunt, æſtati tribuendo, ſex reliquos hyemi.* In hyeme annum capeſſere conſueverunt Germani, *Scaligero* quidem in ejus partem priorem, autumnum, *Strauchio* vero in poſteriorem, hyemem ſtricte dictam initium anni ponentibus (*h*). Cæterum Germanos quoque in tres partes annum partitos fuiſſe teſtatur *Tacitus* (*i*): *Hyems*, inquit, *& Ver & Aeſtas intellectum & vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur.* Cujus conſuetudinis rationem a populis Orientis, qui annum in tres etiam partes diviſerint, derivat Cluverius (*k*). Sed manum de tabula.

(*f*) Pag. 343.
(*g*) De *ratione Temporum cap.* XIII.
(*h*) Vid. *ejusd. diſſ. p.* 346.
(*i*) *Cap. XXVI. p.* 157.
(*k*) *Lib. I. c.* 33.

Jam

JAm denuo, VIR gente & mente GENEROSISSIME, MAECENAS longe GRATIOSISSIME, compellandus es, ne ægre feras, ſi forte juvenili ſcriptione mea TIBI gravis fuerim, pro affectu potius animi mei in benignam partem eam ut interpretere, demiſiſſime rogo. Specimen literarum mearum qualecunque exhibui, idque teſtem gratiſſimi erga TVA benefacta animi exiſtere volui, memor verborum *Senecæ: quidam furtive gratias agunt, & in angulo & ad aurem. Non eſt iſta verecundia, ſed inficiandi genus. Ingratus eſt, qui remotis arbitris agit gratias. Idem faciunt, qui dant operam, ut beneficium in ipſos collatum quam ignotiſſimum ſit. Et dum opinionem clientum timent, graviorem ſubeunt ingratorum.* Idem grati animi ſenſus me urget, ut, quæ ſit ſumma votorum, quibus quotidie pro TVA TVORVMQVE ſalute vacem, pientiſſime TIBI exponam. Potentiſſimum Numen, in cujus ſapientiſſimis decretis omne noſtrum vivendi tempus poſitum eſt, TE clementiſſime ſeros in annos, ſalvum ſoſpitemque præſtet, omnique proſperitatis genere auctum ac locupletatum. Averruncet a TE longiſſime cuncta ſenectæ appropinquantis incommoda, aut temperet & leniat eadem. Effundat largiſſima manu Deus in ILLVSTREM TVAM PROSAPIAM omnigenum gratiarum & felicitatum florem, eamque in dies ſeculi immortalibus honorum meritorumque decoribus perennare jubeat. *Generoſiſſimum* inprimis *filium* (natu maximum, PHILIPPVM FRIDERICVM) TIBI incolumen ſervet, ſtudiisque EIVS literariis, quibus jam in *Illuſtri Eberhardina Academia*, gnaviter incumbit, ita benedicat, ut Paternæ virtutis & doctrinæ imago in dies magis magisque in ILLO exſplendeſcat, ISQVE in ſummis deliciis TIBI eſſe porro pergat. Concedat denique, ut in ſummam

D pre-

preces meas contraham, idem propitius Deus mihi jugem de TVA ſalute TVAEQVE DOMVS flore lætandi & congratulandi materiam.

Ne properent! lente, lente, TVA fata incedant!
Vtque dies plures dent TIBI, cedo meos.

Quod reliquum, TVAE gratiæ & patrocinio qualiacunque ſtudia mea, ea qua fieri poteſt animi religione, & in poſterum commendo. Vale VIR PERILLVSTRIS, MAECENAS INDVLGENTISSIME, ad votum, imo ſupra votum. Dabam *Ulmæ die 10. Febr.* anni nuper cœpti CIↃ IↃCC XL.

